

14. Item super verba illa Ecclesiastici, ubi dicit: ‚Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus‘ usque ad illum locum: ‚Vide arcum et benedic qui fecit illum‘ scripsi sermones 11. hujus operis praefatio dirigitur ad Godefridum, priorem de Bergis.

15. Item super verba illa Domini: ‚Acceptit Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus‘ scripsi sermones duos, unum allegorice et alterum moraliter, 15 generapanum ex eisdem verbis eliciens, et totidem praecipuis solennitatibus anni eosdem sermones adaptans.

16. Item ab illo loco evangelii, ubi ‚Angelus Gabriel missus est ad Mariam‘, usque ad eum locum, ubi Salvator aquam vertit in vinum, servato ordine historiae, edidi homilias morales 18. hujus operis prologus est: ‚Fasciculus myrrae dilectus meus mihi.‘

17. Item scripsi Dialogum magnum visionum atque miraculorum. hujus libri sunt 12, prologus sic incipit: ‚Colligite fragmenta, ne pereant.‘

18. Item ab eo loco, ubi Dominus ad nuptias veniens aquas convertit in vinum, usque ad ultimam dominicam Adventus, super omnes lectiones evangelii dominicales scripsi homilias morales numero 64. hujus operis prologus sic incipit: ‚Botrus cypri dilectus meus mihi.‘

19. Item scripsi actus, passionem et miracula domini Engelberti, Coloniensis archiepiscopi. hujus operis epistola ad successorem ejus, dominum Henricum antistitem, dirigitur.

20. Item super lectiones evangelii, quae leguntur per circulum anni in festivitibus sanctorum, in quibus 12 lectiones habentur in ordine nostro, scripsi homilias morales 33. hujus operis prologus sic incipit: ‚Jacob diligebat Joseph super omnes filios suos.‘

21. Item super verba Salomonis in Canticis canticorum, ubi dicit: ‚Quae est ista, quae progreditur sicut aurora consurgens?‘ scripsi ad honorem Dei genitricis libellum unum. hujus operis prologus dirigitur ad Alardum, presbyterum et monachum.

22. Item de transfiguratione Domini scripsi homilias duas, unam sub typo dialogi allegorice, alterum moraliter. hujus operis praefatio est ad Hermannum, priorem de Claustro.